

physicam entitatem actus, tamen non sufficit ad variandam malitiam formaliter, si in objecto, vel circumstantia sit eadem deordinatio a recta ratione, ut constat in peccato omissionis, et in universum supra ostensum est deordinationem ipsius actus voluntatis magis esse indirecte voluntariam, quam directe: unde Cajetanus coactus argumentis tandem videtur descendere in hanc sententiam, ita tamen, ut dicat malitiam illam, quæ sumitur ex circumstantia tantum indirecte voluntaria, non esse simpliciter in tali specie, sed reductive: sed hoc spectat magis ad quæstionem de nomine, quam de re: et non videtur necessarium, etiam quantum ad modum loquendi, quia illa est absoluta deordinatio, et defectus, ac privatio talis rectitudinis: proprie ergo est in illa specie, solum quantum attinet ad materiam moralem, et ad incurrendas penas impositas propter peccatum talis speciei, post peccatum ex ignorantia factum dici imperfectum in illa specie, quod solum procedit, quando lex habet aliquod verbum, quod indicat directam voluntatem, ut *si quis presumpserit: si temerarie attentaverit*, vel similia, de quo lege Cajetanum, in Summa, verbo *Excommunicatio*, c. 28 et 81, et Navarrum, cap. 28, num. 74.

7. *Tertia sententia, et vera probatur.*—Tertia ergo sententia, eaque recepta, est, satis esse circumstantiam indirecte voluntariam, ut det malitiam specie distinctam: quæ satis probata relinquitur ex dictis contra præcedentem, et ex differentia inter bonitatem et malitiam sæpe tradita. Idem confirmari potest, quia cum malum contingat ex quocumque defectu quomodocumque voluntas illud amet, satis est, ut inficiat, et maculet voluntatem: neque potest intelligi, quod voluntas quacumque ratione velit malum, quin male faciat volendo; constat autem in malis dari voluntarium indirectum, quia semper intercedit obligatio vitandi illa.

8. *Difficultas contra hanc tertiam sententiam.*—Sed occurrit statim gravior difficultas, quæ maxime videtur Cajetanum movisse: nam sequitur in quocumque peccato esse plures malitias specie distinctas, ut, verbi gratia, in furto erit imprimis malitia injustitiæ, et præterea malitia inobedienciæ, quia est violatio præcepti divini, vel etiam humani. Item malitia contra charitatem propriam, quatenus est mors animæ, et contra charitatem proximi, si sit scandalosus actus, et sic de aliis. Ad quam difficultatem communis responsio esse solet, proximam sententiam procedere in his circum-

stantiis, quæ sunt speciales, et specialibus virtutibus repugnant, et in his nullum esse inconveniens, quod actus habeat plures malitias, si habeat plures circumstantias speciali modo rationi contrarias, quod docet divus Thomas, quæst. 2, a. 4, ut supra dictum est, et dicitur statim: alias vero esse circumstantias, quæ dicuntur generales, ut sunt inobediencia, et similes, atque in his non sufficere voluntarium indirectum, ut dent specialem malitiam, sed oportere, ut specialiter intendatur, sicut multi existimant de malitia scandali, etc. Sed non est facile rationem differentiæ reddere: nam rationes factæ pro ipsa tertia opinione æque in his circumstantiis videntur urgere: nimirum, quod voluntarium directum et indirectum, si cætera sint paria, non variant malitiam moralem. Item quod hæ circumstantiæ aggravant, et non intra eandem speciem, quia in ipso objecto difformitas contra unam, vel aliam virtutem est valde diversæ speciei: unde falsum etiam videtur, quod quidam dicunt ab his circumstantiis sumi malitiam, quasi genericam, quia genus, et species debent esse per se ordinata, virtutes autem, quibus hæ malitiæ opponuntur non ita comparantur, sed ut species diversæ.

9. *Positæ difficultati probabiliter succumbunt aliqui.*—Et ideo aliqui concedunt has, etiam circumstantias quomodocumque voluntarias, dare propriam malitiam, quæ speculative loquendo, distincta est a malitia sumpta ex objecto: moraliter autem non distingui, sed reputari per modum unius, quia inseparabiliter et necessario se consequuntur, et constituunt unum peccatum; quod secus est, quando hæ circumstantiæ sunt directe intentæ, tunc enim illa intentio constituit peccatum omnino distinctum, qui modus dicendi est probabilis, sed limitari adhuc potest distinguendo dupliciter posse circumstantiam esse generalem, ut modo per modum generis, ut quod sit aliquo modo aversio ab ultimo fine, quod sit disconveniens, seu spiritualiter nociva operanti, et quod sit aliquo modo contra legem; et de his est verum tales circumstantias non dare specialem malitiam, nisi sint specialiter intentæ, quia tunc sumuntur, ut objecta specialia, et aliis modis sunt solum voluntariæ per modum rationis genericæ. Aliæ vero sunt circumstantiæ generales, et universales solum per quamdam concomitantiam, quia scilicet, vel simpliciter, vel ut in plurimum comitantur aliam malitiam objectivam, ut forte est malitia scandali: de quo in disput. decima, de Charitate, sect. secunda; et in his conceditur

dari propriam malitiam, etiamsi tantum sint indirecte voluntariæ.

10. *Limitatio circa proxime dicta.*—In quo tamen ultimo est addendum in his circumstantiis generalibus considerandum esse an ex vi illarum oriatur specialis obligatio ad vitandum actum, vel operandum sic, nam interdum, et sæpe non oritur, quia sufficit obligatio, quæ ex objecto oritur, et tunc illæ non conferunt malitiam, non tantum, quia non sunt directe intentæ, sed etiam, quia non censentur indirecte voluntariæ, formaliter loquendo, sed tantum materialiter, ut, verbi gratia, si quis ex præcepto tenetur jejunare, lex ipsa ponit illum actum intra virtutem temperantiæ, et illa est, quæ proxime obligat, non autem virtus obedienciæ, et ideo qui violat illam legem, non vult, etiam indirecte, formalem malitiam inobedienciæ, sed solum materialiter dicitur inobediens: unde illa lex tunc solum aggravat constituendo majorem necessitatem in illo actu intra virtutem temperantiæ: et ita facile est respondere ad omnia objecta.

SECTIO IX.

Utrum actus voluntatis accipiat malitiam ex fine.

1. *Resolutio affirmativa.*—In actu malo considerare possumus speciem positivam et realem, et de hac philosophandum est quantum ad objectum et finem, eodem modo, quo dictum est de actibus bonis; illa enim doctrina generalis est ad omnem hujusmodi actuum specificationem, et ideo de illa nihil amplius dicam; modo tantum agimus de malitia, ut includit privationem, de qua dicendum est actum interiorem interdum sumere malitiam ex fine, quod per se est notum, et quasi primum principium in moralibus, nam intentio finis est, quæ maxime discernit morales operationes, et a fortiori patet ex dictis de bonitate.

2. *Prima differentia inter malitiam et bonitatem ex fine sumptas.*—Solum sunt notandæ nonnullæ differentiæ inter malitiam et bonitatem. Prima est, quod actus solum sumit bonitatem ex fine per relationem in finem bonum: malitia autem dupliciter sumi potest. Uno modo per relationem in finem malum, propter eandem proportionalem rationem; altero per carentiam relationis in finem bonum, et debitum, juxta sententiam D. Thomæ, quod actus indifferens est malus ex sola carentia hujus relationis: sicut etiam supra

dictum est de reliquis circumstantiis, et ratio est illa generalis, quod ad malitiam sufficit carentia perfectionis debitæ. Alius modus potest excogitari, quod actus fiat malus ex fine improporcionado, ut si malus actus referatur in Deum, imo Augustinus interdum videtur damnare actum, quando bonum majus ex objecto ordinatur ad inferiorem finem, etiamsi bonus sit, ut si spiritualia ministeria ordinentur ad speciale commodum: sed in priori actu malitia proprie non est ex fine, sed ex objecto: in posteriori autem, vel nulla est malitia, vel si interdum invenitur, est quia illud inferius bonum non refertur ad ultimum finem debitum, de qua occurret iterum sermo, disput. sequenti.

3. *Secunda differentia.*—Secunda differentia est, quia finis bonus si non sit remotus, et imperans, sed proximum motivum, dat primam et essentialem bonitatem, et tunc actus nullam habet ex objecto, etiamsi alias bonum sit: at vero in actu malo, etiamsi finis sit proxima, et tota ratio volendi objectum aliquod de se turpe, non impedit quominus actus præter malitiam ex fine habeat propriam malitiam ex objecto, ut qui vult mentiri, ut proximum infamet, non solum habet malitiam injustitiæ ex fine, sed etiam mendacii ex objecto, et ratio est, quia ut objectum det malitiam, non est necesse, quod sit formaliter intentum, sed satis est, quod sit materialiter volitum.

4. *Tertia differentia.*—Atque hinc oritur tertia differentia, scilicet quod actus ex objecto bonus non habet bonitatem ex fine, nisi per denominationem ab alio actu: actus autem malus potest illam habere, et isto modo, et præterea immediate per seipsum, et ita potest habere duas malitias suo modo intrinsecas, unam ex fine, et aliam ex objecto. Sed quæret tunc aliquis, quæ illarum sit essentialis, seu quæ magis intrinseca, quod etiam quæri potest de omni specie malitiæ sumpta ex circumstantia et objecto. Respondetur cum malitia, ut sic, non sit de essentia actus, non est necesse aliquam illarum esse simpliciter essentialem, sed unaquæque potest dici essentialis actui, ut constituto in tali specie, quomodo videtur loqui D. Thomas, 1, 2, quæst. 18, a. 10, dicens, circumstantiam specificantem, sub hac ratione transire in rationem objecti, utraque vero potest dici accidere actui, ut constituto in alia specie, quod etiam potest sumi ex eadem 1, 2, quæst. 88, art. 5, et in 4, dist. 16, quæst. 3, art. 2, quæstiuncula 3 et 4. Quia vero objectum est propinquius actui, et inseparabilius, ideo

malitia, quæ ex illo sumitur, censi potest magis intrinseca, et quasi essentialis moraliter: quomodo in voluntate furandi propter mœchiam malitia furti est prima, et maxime intrinseca, quæ vero illarum major sit, non potest certa regula assignari, nam pro ratione materiæ et præceptorum, potest una excedere, interdum vero alia: considerato tamen modo operandi, illa malitia, quæ ex fine est, gravior est, quia est magis directe intenta, quomodo exponi posset illud, quod ex Aristotele communiter refertur: *Qui furatur propter mœchiam, magis est mœchus, quam fur*, solum potest objici hoc ejus testimonium, nam verba ejus non sunt, quæ communiter circumferuntur, sed hæc, *qui lucrandi causa facit adulterium, et accipit pecunias injustas, non intemperans esse videbitur*. In quibus verbis videtur excludere omnem malitiam ex objecto, sed non possunt intelligi verba, ut sonant de malitia, sed de affectu positivo, et quasi directe operantis, nam hic totus tendit in finem, et ideo maxime, atque simpliciter ab illo operans denominatur, quia ab intentione finis cætera pendent, et species actus positiva ab illo desumitur, quomodo loquitur D. Thomas 1, 2, q. 18, art. 6. Quia vero, ut sæpe dictum est, ad malitiam sufficit, quodlibet voluntarium, hoc non impedit, quominus talis actus ex materiali objecto habeat propriam malitiam, interdumque gravio- rem, quamvis minus intentam.

SECTIO X.

Utrum sit aliqua malitia voluntatis in sola carentia actus, et quid illa sit.

1. *Omissio debet esse voluntaria ut habeat malitiam.* — Explicata malitia actuum voluntatis facillimum erit exponere malitiam illam, quæ in sola privatione, seu carentia actus debiti posita est, et *omissio* appellatur, quam certum est oportere esse voluntariam, ut rationem malitiæ moralis habeat, quia alias non erit, ut sic dicam, privatio, seu carentia humana, unde sicut bonitas, et malitia moralis supponit actum humanum, ita si aliqua est malitia per solam carentiam actus, necesse est, ut sit humano modo, et consequenter, quod sit voluntaria.

2. *De malitia omissionis per actum positivum.* — Rursus constat ex supradictis, variis modis posse hanc carentiam esse voluntariam, scilicet vel per actum directum, vel omnino sine actu per suspensionem liberam. Et prior

modus distingui potest, nam interdum unus actus potest directe terminari ad carentiam alterius, vel interni, vel externi, ut quando volo studere tempore, quo debebam orare, et uterque horum modorum regulandus est per principia hæcenus tradita, nullam enim novam difficultatem habent: nam licet hæc malitia ex parte objecti, et præcepti, cui immediate opponitur, sit omissionis; tamen revera est malitia cujusdam actus voluntatis, qui ex objecto privativo, vel ex circumstantia alterius objecti, fit malus: nam qui vult non audire Missam tempore quo tenetur, habet pro objecto illius actus, omissionem ipsam: unde habet inordinationem, et malitiam ejusdem modi cum aliis actibus malis ex objecto, neque est ibi aliud malitiæ genus. Nam, quod quidam dicunt, esse ibi duplicem malitiam, unam in eliciendo unum actum: alteram in omittendo alium, non est verum: sed est una malitia magis voluntaria, quam si tantum esset indirecte volita: ac simili modo, quando aliquis vult operari unum actum, omittendo aliud præceptum, actus non est malus ex objecto, sed ex circumstantia *Quid*, seu ex effectu secuto ex alio actu, et ita hic actus, etiam habet malitiam ejusdem rationis, et modi cum aliis actibus malis ex circumstantiis: nam quod ille effectus, seu circumstantia sit in re positivum quid, vel privativum, parum refert, et materialiter se habet ad rationem malitiæ: solum ergo superest altera malitia, quæ est voluntaria per solam suspensionem actus.

3. *De malitia omissionis per suspensionem omnis actus.* — Quo tempore contrahatur hæc malitia. — De qua dicendum est hanc malitiam nihil aliud esse, quam privationem ipsam actus debiti. Probat, quia non consistit in actu, nullum enim requirit nec formaliter, nec materialiter, ut declaratum est: ergo in privatione sola consistit, non autem in privatione habitus, seu habitualis perfectionis: tum quia non agimus de habituali malitia, sed de actuali: tum etiam, quia habitualis privatio non potest esse per se voluntaria, et consequenter, nec per se mala, nisi in ordine ad actum, vel privationem actus: ergo consistit in privatione actus debiti, quæ per sese potest esse voluntaria. Unde fit hanc malitiam contrahi non posse, nisi eo tempore pro quo obligat affirmativum præceptum: quando enim omissio est voluntaria per actum positivum potest antecedere tempus illud, pro quo obligat præceptum affirmativum, quia voluntas potest tendere in tempus futurum ut in objectum:

DISPUTATIO VIII.

DE QUALITATE DIVISIONIS ACTUS VOLUNTATIS IN BONUM ET MALUM, ET MEMBRORUM COMPARATIONE ET REPUGNANTIA.

Explicato diviso et membris dividendis, duo supersunt declaranda, scilicet sufficientia ejus divisionis, quod præstabimus disputatione sequenti, et qualitas, seu genus ejus, id est, an sit essentialis, seu accidentalis, seu an sit generis in species, seu subjecti in accidentia, ad quod explicandum præmittere, et exponere necesse est, quanta sit repugnantia inter bonitatem et malitiam, et an aliquo modo, vel ex diversis capitibus possint in aliquo actu convenire vel simul, vel successive.

SECTIO I.

Utrum idem actus voluntatis possit simul habere bonitatem et malitiam.

1. *Resolutio questionis sub aliis verbis.* — Hæc quæstio aliter proponi potest et solet, scilicet, *An idem actus possit simul esse bonus et malus*. Sub qua interrogandi forma omnes quidem fere auctores conveniunt non posse, ut patet ex D. Thoma, in tota hac materia, præsertim, quæst. 14, art. 2, et quæst. 2, de Malo, art. 4, ad 2, Scotus, in 1, dist. 17, q. 3, Durandus, in 2, dist. 40, Bonaventura, d. 41, quæst. 1 et penultima, Ægidius, dist. 40, q. 1, et ibidem, Albertus, art. ultimo, Almainus, tract. 1, Moralium, cap. 12, qui refert Gregorium, in 2, distinct. 28, Vega, qui alios refert, lib. 11, in Tridentinum, cap. 27.

2. *Predicta verba in uno sensu plana sunt.* — Hæc quæstio sic proposita habet æquivocum sensum, nam si bonum et malum sumantur prout actum absolute, et simpliciter dominant, sic est per se nota dicta resolutio opposito illo principio Dionysii: *Quod bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu*: ejus sensus est, ut actus denominetur simpliciter bonus necessarium esse, ut habeat omnem debitam perfectionem sine defectu ullo: e contrario vero, ut dicatur simpliciter malus, satis esse quod aliqua perfectione debita careat. Unde fit quod sicut est impossibile eundem actum simul habere omnem perfectionem debitam, et aliqua carere, quia hoc modo contradictorie opponuntur, ita etiam sit impossibile esse simul simpliciter bonum et simplici-

at vero per meram suspensionem actus tantum potest respicere præsens tempus, in quo non elicit actum, et ideo, ut illa suspensio mala sit, oportet, ut præceptum pro illo tempore obliget.

4. *Objectio.* — *Responsio.* — Sed contra, quia potest voluntas habere hanc carentiam actus debiti voluntariam sine malitia saltem interveniente ignorantia: ergo malitia aliquid aliud est præter carentiam hanc: sicut supra de actu malo argumentabamur. Propter hæc fortasse Petrus Soto, lect. 6, de ratione peccati distinguit in hoc ipso actu materiale et formale, et dicit carentiam actus esse materiale tantum, formale vero esse carentiam debitæ rectitudinis, seu deordinationem a recta ratione veluti existentem in priori carentia actus, quod quidem mihi non omnino displicet, quamvis difficilius explicetur, quam in actu positivo, quia carentiæ talis actus nulla debetur rectitudo, nec ratione sui, quia non est capax ejus, nec ratione subjecti, quia voluntas non debet rectitudinem carentiæ, sed actui. Facilius ergo dicitur carentiam illam posse considerari, vel ut negationem tantum, seu ut physicam tantum privationem, et ut sic, materialiter se habet, neque induit rationem malitiæ, et hoc tantum modo reperiri potest interveniente ignorantia; tum quia vel non est voluntaria, vel certe, quia stante illa dispositione, non est debitus contrarius actus, et ita illa non est carentia perfectionis debitæ; tum etiam, quia hinc fit, ut jam non includat deordinationem a recta ratione.

5. *Instantia.* — *Diluitur.* — Sed objici etiam potest, nam hæc carentia non privat actu honesto; ergo non est malitia. Antecedens patet, quia solum privat actu ad implendum præceptum necessario: sæpe autem potest affirmativum præceptum impleri sine honestate actus. Respondetur primo, per se loquendo, ex intentione legis privari actu ex objecto honesto, quia semper lex de se requirit aliquam honestatem objectivam, et consequenter actum honestum, quantum est ex parte legis: quod satis est, ut privatio positiva sit mala, quamvis per accidens ex parte operantis possit impleri lex sine actu simpliciter honesto, quod tamen nunquam fiet sine transgressione alterius legis. Deinde dicitur, ipsammet voluntariam carentiam privari debito ordine ad rectam rationem: et hoc etiam satis est, ut sit mala voluntati, quæ tenetur vitare omnem deordinationem a recta ratione, tam in actu suo, quam in libera carentia ejus.